



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum
Vitæ, tum Officii Pastoralis**

Musart, Charles

Monachii, 1654

IV. Qui ritus seruandi; & an sæpius dari possit in eodem morbo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

216 *Institutionum Pastoralium*
conferre possit. Olim Extrema unctio ante Eucharistiam collata, nunc solet postponi: nihil tamen refert, data Extremâ unctione, Eucharistiam administrari.

In eâdem infirmitate semel tantum conferri debet; si tamen morbus cesserit, ac deinde redeat, iterum ungere poteris: imò si durante eâdem infirmitate æger periculum euaserit, & deinde in nouum vitæ discrimen relabatur, poterit secundò vngi; quia perinde est, ac si nouus morbus inuassisset.

NVM: IV.

De administratione huius Sacramenti.

PRæscriptas cæmonias diligenter obserua eo modo, quo in tuâ Diœcesi receptæ fuerint. Pro reuerentia, nisi aliud quid obsit, deferes è templo veste clericali, superpelliceo, & stola indutus, præcedente ministro, qui lumen honoris deferat causâ. Ve-

rùm

rum si causa subsit , vt priuatus sine
solennitate ad infirmum te conferas,
saltēm in loco, saero illo habitu te in-
dues: neque minister est necessarius;
ipse respondere poteris, si nemo possit
ex iis, qui aderunt.

Psalmi Pœnitentiales omittuntur
sine culpâ : reliquæ preces non sunt
prætermittendæ , quantum tempus,
morbus , & ratio permittit. Initio , si
res moram patitur , saluta infirmum,
& paucis significa , quid sit , & quos
ob fines institutum sit hoc Sacramen-
tum : quære , an quid in conscientiâ
habeat , quod fructum huius Sacra-
menti impedit ; si quid sit , audi con-
fidentem , & absolue ; simûlque eum ex-
cita ad deuotionem , quò fructum
überiorem capiat : breuis esse debet
hæc monitio , si terrorem , aut tedium
pariat. Singula organa sensuum dili-
genter inunge , & quidem si bina sint ,
vt sunt , oculorum , aurium , manuum ,
pedum , bina : si desint ; vnge partes

K

vici-

218 *Institutionum Pastoralium*
viciniores: cùm bina autem sensuum
organa vngis, formam verborum par-
tire cum partiali vnaquaque vncione.
Renes, aut pectus fæminis ne vngito,
ac ne pedes quidem, cùm è partu la-
borant, aut indecentia dissuadet.

Cùm necessitas vrget, statim rem
ipsam aggredere, aliis postpositis; &
cùm festinandum videretur, in facie
vnum oculum, vnam aurem, narem,
os, & pro organo tactus, genam, aut
aliam vultus partem vnge, sub vnâ in-
tegrâ hâc formâ. *Per hanc sanctam*
Vnctionem indulgeat tibi Dominus,
quidquid peccasti per visum, auditum,
odoratum, gustum, tactum: cruce li-
cet omissa; ista enim sola ad essentiam
huius Sacramenti sufficiunt: Si dubi-
tas, an superuiuat, qui vngendus est,
explora, quâ arte potes; manente
dubio, vnge sub conditione, si viuis ad-
huc. Finitâ vncione, partes inunctas
deterges panno, stupâ, aut quod de-
centius est, bombaceo: digitos abster-
ges

ges sale , pane , aquâ , quæ igni da-
bis, reverentiæ causâ. Pueris haben-
tibus sufficientem vsum ad peccandum,
et si nondum ad communicandum,,
non est neganda Extrema vngatio, præ-
sertim si nullum aliud Sacramentum
accipere possint : quia semper iuuat ,
tunc autem fortè necessaria est.

NVM: V.

An, & quomodo vngendi , qui peste , aut
contagione sunt infecti.

Qvæ superiùs suis locis circa pesti-
ferorum confessionem excipien-
dam , & Viaticum diximus , huc suo
modo etiam spectant , nam licet con-
fessionis maxima in moribundis , com-
munionis verò sacræ maior ratio
sit habenda , quàm sacræ Vnctionis ;
quod ista duo priora moribundis
grauiter præcepta sint , magisque ad
salutem necessaria : tamen quia sem-
per maximum momentum positum
est in Extremæ vngtionis Sacramen-

K 2

to,